scilicet comparatur ad A. eundem A duobus semisque transcendit. Sitque haec differentia F scilicet II S. Rursus eadem C differentia B numerum metiatur octies decies semis. fiunt CCXL S. Quod sit E. Igitur E comparatur ad B eodem F transcenditur. id est duobus semis. D igitur ab eo quod est A. et rursus E ab eo quod est B. eadem F differentia sunt minores. Subtracto igitur F ab eo quod est A atque B. facti sunt D atque E. Maiorem igitur tenent proportionem inter se D atque E quam A atque B. Sed D atque E. eandem proportionem inter se retinent quam XVIIII S ad XVIII S. A igitur ad B minorem retinent proportionem quam XVIIII S ad XVIII S. quod oportebat ostendere.

Tredecies XVIII. CCXXXIIII

Tredecies semis VI S.



Videtur tamen eadem proportio CCLVI ad CCXLIII maior esse ab ea quam continent XX et XVIIII. Sint enim termini A B C. idem qui superius descripti sunt. Metiatur igitur C differentia A terminum vicies. fient CCLX qui sint D. Qui comparati ad id quod est A. eundem quaternario transcendunt. hic sit F. Rursus idem C metiatur B decies novies. fient CCXLVII. Hic sit E. Qui comparati ad B eodem F transcendunt. D igitur numerus A numerum. et E numerus numerum B. eodem F transcendunt. Adiecto igitur F his qui sunt A atque B. facti sunt D atque E. Maior igitur est proportio eorum qui sunt A atque B. quam eorum qui sunt D atque E. Sed D atque E vicies ac decies novies multiplicatus C numerus efficit. Maior igitur est proportio eorum qui sunt A atque B qui scilicet semitonium continent. quam ea quae est XX ad XVIIII.